DISSERTATIO ACADEMICA, DE DOLO IN HOSTEM LICITO, QUAM ASPIRANTE DIVINI NUMINIS...

Johann Georg Scherz, Johann Philipp Kneyl, Valenti Gonzaga



VIRO
Præ-Nobilissimo, Maximeque
Strenuo
DN. JOHANNI KNEYL,
Illustrissimi
COMITIS de AHLEFELDT,
Loricatorum è Daniâ Equitum Chiliarchi Legato,
Nec non
Serenissimi Principis ac Domini
DN. CAROLI RUDOLPHI,
Ducis Würtembergici,
REGIÆ DANICÆ MAIESTATIS.
Summi rei militaris Præfecti Adjutori,
DN. Patruo ac Patrono suo Honoratissimo ac Beneficentissimo
Hasce Studiorum primitias
in gratissimæ mentis signum
Studiorumq; suorum ulteriorem commendationem
Sacras vovere voluit debuit
JOHANNES PHILIPPUS KNEYL,

VIR
PRÆNOBILISSIME MAXIMEQVE STRENUE, DN. PATRUE AC PATRONE HONORATISSIME, BENEFICENTISSIME.

NOn longe dispiciendum mihi fuit cui Academicas hasce primitias tenues quidem & exiguas inscriberem & sacras

 face-

facerem. Re enim hac paululum accurate expensa ita me TIBI, VIR MAXIME STRENUE, *obstrictum deprehendebam, ut si ab hoc officio me abstinuissem gravissime in* TE TUAMque *Benignitatem fuissem peccaturus. Præter enim vinculum consanguinitatis, quo* TIBI *me junctum esse gaudeo, tot tantaque benevolentiæ & Amoris signa, tantaque in me collata apparent Beneficia, ut illa nec hoc nec alio loco exprimere unquam valeam. Duodecennium est & quod excur-*

rit

rit amplius, PATRONE HONORATISSIME, *ex quo ad* TE *confugi Parente meo dilecto orbatus*: TUAM *ambij opem & impetravi: juſſu* TUO *pluſquam paterno fundamentis latinitatis in Patria imbutus, Montisbelgardum ſumptibus* TUIS *ſum miſſus. Abſoluto dein in Gymnaſio Montisbelgardenſi curſu claſſico Conſilio* TUO *ad Argentinenſium Univerſitatem veni: in qua Viros quoſdam è Numero Dominorum Profeſſorum Excellentiſſimos reperi, quorum olim Amicitia &*

 Fa-

Familiaritate fruebaris. Horum, quæ via in studiis regia sit, cura & informatione didici & DEO volente adhuc discam. Sed quod plurimum est, Patronum mihi Argentinæ elegisti, qui indefessam mei, Educationis meæ, Studiorumque meorum curam hactenus gessit & adhuc gerit: Virum nimirum Ampliss. & Consultissimum DN. Georgium Albertum Steinheil, JCtum, *Serenissimis Principibus Palatinis de Birckenfeldt, & Nobilitati inferioris Alsatiæ à Consiliis, cujus mensa &*

tecto

tecto benignissime utor, *Hic tantis ad hoc usque tempus me mactavit & adhuc dum mactat beneficiis ut post* TE, PATRUE BENEFICENTISSIME, *alterum hunc nominare possim*, *qui favoris in me plus quam paterni edit specimina. Beneficia autem quibus* PATRONE HONORATISSIME *à* TE *per tot annos sum ornatus redhostienda quidem essent insigni aliquo pietatis saltem memoris pignore. Cum autem impræsentiarum nihil quo Animum gratum ostendam, habeam,*

beam, hasce studiorum primitias de DOLO IN HOSTEM LICITO TIBI VIRO *non minus toga quam Sago* PRÆSTANTI *offero, quas nullus dubito, dum Benevolentissimi affectus argumenta non pauca mihi hactenus suppeditasti, quin serena itidem fronte sis admissurus, & ut fulgenti* TUI *Nominis inscriptione exornatiores incedant, benigne passurus. Hasce autem primitias sufficientes compensandis tot tantisque beneficiis æstimari posse non dico. Sed mihi suffece-*


ſecerit, PATRUE HONORATISSIME, *gratiſſimum ſaltem Animum hac occaſione tibi declaraſſe. Annue itaque*, VIR MAXIME STRENUE, *conatui meo, fave ſtudiis meis, quæ una cum ſalute mea TIBI commendo. DEUS interim T. O. M. divina ſua Providentia Res* TUAS *gubernet, cœleſti prudentia prudentiſſimis* TUIS *Conſiliis benedicat, ac diuturna tranquillitate, vitâ longæva, valetudine vegeta omnique proſperitate frui* TE *jubeat*, Mœcenatemque

que *mihi conservet; qui immortali memoria venerabor beneficia* TUA *& per omne vitæ meæ tempus approbare* TIBI *obsequia mea studebo*

PRÆNOBILISSIMI
MAXIMEQVE STRENVI
NOMINIS TVI

Cultor Cliensque humillimus

JOH. PHILIPPUS KNEYL.



AD LECTOREM PRÆSIDIS PRÆFATIO.



Ecte omnino atque eleganter *Mevius* ostensurus Necessitatem Utilitatemque Juris Naturæ & Gentium ratione eorum qui JCtorum nomen affectant, ita in *Præfat. in Nucleum Juris N. & G.* pronunciat: *Quam necessarium JCto sit Juris Naturæ & Gentium studium, tum potissimum patet, cum res nobis est cum iis, qui ejusdem Civitatis, & Imperii Civilis non sunt: Qui, licet nobiscum concordent in Juris necessitudine consistere controversiarum finem, atta-*

 men

men illud quod Romanorum Cæsarum vel Pontificum Legibus continetur ad istum non perinde admittunt, sed ultra quærunt & adhiberi volunt. Et licet vel ipsas in forum receperint, ut normam justi et æqui, tamen Cives ibi saltem juxta illas judicari volunt; non sua cum exteris ita terminari; Aliter quâ hos justa censenda & statuenda esse putant. Cum quibus omnino comparari meretur elegantissima magni & in privato & in publico Gentium Naturæque Jure Doctoris, *Casp. Ziegleri Præf. in Notas ad Grotii J. B. & P.* ubi ita finit: *Ille denuò veram non simulatam philosophiam affectare mihi videtur, qui Civile Jus ad altiora & superiora principia revocat & in illis verum justi & æqui fundamentum inquirit:* Animum ad hæcce advertens, qui & ipse viam ad Juris Civilis scientiam affectat, *Pereximius atque Doctissimus DN.* JOH. PHILIPPUS KNEYL, *Mediovillâ-Alsatus* inprimis ex philosophis illos sibi colendos sumsit, qui officiis secundum Ju-

ris

ris Naturæ & Gentium Præcepta tradendis occupati ſunt. Cujus ſtudii ſpecimen ut publico daret, in Palæſtrâ Academicâ committi voluit, ſumto in materiam Litis capite, de *Dolo in Hoſtem licito*. Qui conatus uti non poteſt non laudari, ita ſi modo cordati favebunt, felicem promittit eventum. Bene vertat!

THESIS I.



Um monente *Cornelio Tacito Annal.* 2. 88. 1. duo ſint modi hoſtes noſtros ulciſcendi, quorum alter *fraude & occultis* conſtat, alter *palam & ab armatis* adhibetur; hic majorem juſtitiæ ſplendorem præ ſe ferat, ille cum injuriâ conjunctus videri poſſit, decretum nobis eſt, per modum Diſſertationis Academicæ carptim exponere, quid Dolo in Hoſtem liceat.

TH. II.

Dolum cum nominamus videri poſſit ex ipſo ſtatim nominis ſono patere de re

illicitâ agi, adeoque de ejus in hoſtem uſu fruſtra quæri; cum ne ad bonum quidem finem mala remedia adhibere fas ſit: videmus enim formulam *doloſe agere Ciceroni* optimiſque Auctoribus idem eſſe, ac *agere malitioſe.* Verum notandum *Doli* vocem eſſe ex eorum vocabulorum genere, quæ μέσα Græcis, *Gellio Noct. Attic. lib. 12. c. 9. Ancipitia, media, communia ut ſignificare & capere poſſint duas inter ſe res contrarias*, appellantur; qualia ſunt, uti ipſe refert, *tempeſtas, valetudo, facinus, dolus, gratia, induſtria*; cui, quod ipſe cum aliis omittit, addi poteſt huc etiam pertinens *fraudis* vocabulum, quod & ipſum μέσον eſſe tradit *Caſp. Barthius in Adverſar. lib. 12. cap. 12.* Monuit quod modo de doli voce diximus, probe etiam *Ulpianus in l. 1. §. 3. π. de Dolo malo*; dicens: *quod veteres dolum etiam bonum dixerint, & pro ſolertiâ hoc nomen acceperint*; ubi ſubjungit exemplum talis doli boni, addens: *maxime ſi adverſus hoſtem latronem-*

nemve machinetur. referri hic quadantenus poteſt illud Græcorum dicterium ἀγαθῆς ἀπάτης ὐδὲ Θεὸς ἀποςατεῖ. Ex quibus manifeſtum eſt, quod ex vi vocis dolus alius licitus eſſe poſſit & bonus, alius illicitus & malus; adeoque recte dubitetur an hic vel ille Actus doli vel boni vel mali nomen mereatur.

TH. III.

Hoſtis appellatione non venit is, quem *XII. Tabulæ* hoſtem appellant, cum e. g. dicunt: *Adverſus hoſtem æterna Auctoritas eſto*, it.: *Aut ſtatus dies cum Hoſte*; de quâ acceptione videri debet *Cicero de Offic. lib. 1. c. 12. Varro lib. 4. de Lingu. Lat.* nam adverſus peregrinum qua talem propter commune ſocialitatis humanæ vinculum fraudes dolive locum non habent. Sed ille *Hoſtis* nobis appellatur, qui ruptis ſocialitatis vinculis in ſtatum bellicum nobiſcum incidit, quâ definitione is, qui antiquis *Perduellis* dictus eſt, continetur, *Cic. l. c.* adde *Caium JC. in l. 234. π. de V. S.*

 TH. IV.

TH. IV.

Cum *Licitum* dicimus, id non eo ſenſu acceptum volumus, quo denotat id, quod jure impunitatis, uti quidam loquuntur, nititur, ſeu quod impune fit, quo ſenſu accipi poſſe videtur *Pomponii* aſſertum, qui, *teſte Ulpiano in l.16.§.4. π. de Minor.XXV. annis* ait: *In pretio Emtionis & Venditionis naturaliter licere contrahentibus ſe circumvenire*; ſed eâ notione intellectum id volumus, quâ licitum appellatur id, quod pietati & officiis naturæ non repugnat, ſed congruit. conf. *H. Grotius de J.B.P.3.4. 2.ſeqq.* ut adeo appareat cardinem quæſtionis in eo verſari: An Pars bellantium, quæ credit magis ſuis rebus conſultum iri, ſi ingenii ſolertiâ, ſimulatione & diſſimulatione variique generis Machinationibus utatur, ad illa non repugnante juſtitiâ confugere poſſit.

TH. V.

Qui cum *Carneade* juſtitiam utilitate metiuntur (quod tamen an ex animi ſenten-

tentia ſtatuerit *Carneades*, dubitaſſe videtur *Lactantius de Juſtitiâ V. 16.* uti obſervat Excell. *Dn. Hochſtetter in Pentadecad. Theſ. Practicarum A. 1699.* Tubingæ ad diſputandum propoſita §. VII.) quiq; illam Rationis ſtatus Nephelem pro Junone amplexantur, cum hoc ipſo Juſtitiam è rebus humanis tollant, non poſſunt quin in ſententiam eorum, qui nobiſcum tradunt aliquando dolos adhiberi poſſe non repugnante juſtitiâ, utroque pede eant: Qui enim juſtitiam plane tollit, is ut nulli facto etiam doloſo repugnare juſtitiam fateatur neceſſe eſt; Illi etiam, qui ad modum *Philoſophia Lipſiana*, (prout illa inprimis in *Lib.* IV. *c.* XIV. *Polit.* ſeſe prodit, de quâ re vid. *Bæclerus noſter in Diſſ. Politici Lipſiani, præmiſſâ cap.* V.) Juſtitiam quidem & integritatem ambabus buccis laudant, deceptiunculas tamen ob bonum commune admittunt etiam extra bellum, ſi ſibi ipſis conſtare volunt, noſtræ ſententiæ album calculum addere tenentur.

TH. VI.

TH. VI.

Sed non eſt, ut ab his cauſæ noſtræ Patrocinium petamus, cum vel in cauſa bona Patronum malum ſibi allegaſſe fraudis ſuſpicionem excitet. Melius agetur, ſi rejecto Auctorum inprimis malorum conſortio videamus primò quid in genere in hoſtem liceat; poſtea autem Doli naturam perluſtremus. Cum itaque quæritur, quid in hoſtem generatim liceat, id ex belli fine patere manifeſtum eſt. Finis autem belli nihil aliud eſſe debet, quam periculi intentati defenſio, damni ab altero nobis injuſte illati reparatio, & de ſecuritate in futurum proſpectio: conf. *Pufend. de J. N. G. l. 8. c. 6. §. 7.* Pœnam non addimus, quia illam pro fine belli proprie dicti, uti *Grot.* facit, non habemus; quâ in re nobiſcum conſentit *Bœclerus, Zieglerus aliique vid. Kulpis Coll. Grot. Ex. IX. p. 120. & Budd. Elem. Phil. Pr. Part. III. c. V. §. 5.* Cum itaque verum ſit illud *Grotii de J. B. P. 3. 2. 1. quæ ad finem juris conſequendi ſunt neceſſaria*

ria ad ea jus habere intelligimur; *&* 2.14.11. *In Moralibus qui dat finem, dat etiam ea quæ ad illum finem perducunt*, ſequitur licere nobis in bello omnia ea, quæ ad belli finem impetrandum facere poſſunt. Quo ipſo tamen non contradicimus iis quæ *Grotius* de Jure in infinitum graſſandi in hoſtem habet; nam, uti ſeſe in *lib. 3. c. 4.* §. *2.* & ejuſdem libri *cap. 10.* §. *1. de J. B. P.* explicat, ipſe vult impune ſaltem hæc talia fieri, Gentiumque more; non vero ſalva pietate & officiorum regulis; quæ ſententia omnino recte ſe habet, nam, ut egregie *Maxime Rev. Collega ac Fautor noſter, DN. D. Zentgravius in Summa Juris Divini Sect. IV* §. *4.* ait: *quamvis ſtatus belli ſit ſtatus diſſolutæ ſocietatis humanæ diſſolutio tamen hæc non intelligi debet, quoad vinculum, quo mortales in Univerſalem aliquam ſub DEO & ejuſdem Legibus ſocialibus ſocietatem coiverunt, ſed quoad Exercitium tantum iſtarum Legum, in quantum nimirum hoc cum belli ſtatu & ejuſdem*

 fine

fine proximo, qui eſt victoria, & actionibus ejuſdem legitimis & neceſſariis componi neſcit, quod omnium jurium humanorum diſſolutionem minime infert. adde *Pufendorff. de J. N. G. l. 8. c. 6. §. 7.*

TH. VII.

Cum itaque conſtet ea in hoſtem licere omnia, ſine quibus belli finis impetrari & haberi non poteſt, videndum nunc annon intrinſeca quadam malitia à prohibitione Legis Naturæ proveniente ita laborent doli, ut etiamſi ad belli finem facerent, juſte tamen uſurpari non poſſint. Cum autem dolus, uti *Grotius de J. B. P. 3. 1. 6.* diſtinguit, alius conſiſtat in actu negativo, alius in actu poſitivo, & hic vel in rebus, qui ſimulatio dicitur, vel in verbis ſit & mendacium appelletur, patet eum ſemper cum celatione mentis voluntatiſque eius, qui dolo utitur, coniunctum eſſe. Videndum itaque erit, quatenus per Leges Naturæ quis teneatur voluntatem ſuam vel ſermone vel aliis ſignis declarare.

Ite,

Iterum id ex fine ſermonis, ſignorumque illorum deduci poſſe facillime videtur; Cum autem finis eorum præcipuus ſit, ut vita hominum ſocialis conſervetur & promoveatur, pronum eſt has exinde fluere regulas: Prima eſt: *quoties aliorum hominum commoda promovere & damna avertere tenemur, toties tenemur etiam animi noſtri ſenſa ſignis liquidis ſermoneq; recepto ſignificare:* Altera eſt: *quoties aliorum non intereſt nos loqui vel animi noſtri ſenſa pandere, noſtra autem intereſt tacere aut ſignis diverſum quid à cogitationibus noſtris indicantibus uti, toties tacere vel alienis ſignis uti licet*: Ultima denique eſt: *Multo magis idem licet, ſi aut ſilentium, aut veritatis diſſimulatio in aliorum utilitatem cedant*; proponit eas hac ratione *Buddeus in Elem. Phil. Pr. Part. 2. c. 11. §. 3. & 4.* cum quo confer quæ habet *Magnif. Dn. Schilterus in Manud. Phil. Moral. ad Juriſpr. c. 8. §. 14.* Patet autem hinc ſimulationem diſſimulationemque, item mendacia & omnes

qui modos, animi nostri sensa celant tum demum à Jure Naturæ pro illicitis haberi, cum tenemur commoda eorum, cum quibus nobis res est, promovere ac damna avertere; nunc autem si quæratur, an teneamur hostium vel commoda promovere, vel damna avertere, qui est adeo bliteus, ut id affirmare ausit? vid. omnino *Grotius de J. B. P. lib. 3. c. 1. passim.*

TH. VIII.

Quamvis autem, uti ex modo dictis apparet, satis salva sit doli in hostem justitia, non desunt tamen, quæ in contrarium allegantur. Alii enim ex dissentientibus eo argumento utuntur, quod dolos adhibere sit furum & latrunculorum imitamentum; ita Alexander M. apud *Curtium* 4. *13. 8. Latrunculorum ac furum ista solertia est, quippe illorum votum unicum est fallere.* Alii id afferunt, quod dolus virtuti opponi soleat, inprimis vero cum ἐυψυχίᾳ pugnet; ita Rhesus de Ulyssis artibus audiens ad Hectorem *apud Euripidem in Rheso v. 510.*

ὐδεὶς

ὐδεὶς ἀνὴρ εὔψυχος ἀξιοῖ λάθρα
κτεῖναι τὸν ἐχθρόν.

Alios id movet, quod iis qui dolis abstinent communi fere consensu sanctitatis & sapientiæ laus tribuatur; Alii deniq; dolum belli definitioni repugnare credunt, cum bellum, si *Ciceronem* audias, *sit certatio per vim*; si *Grotium*, sit *status per vim certantium, quâ tales sunt*; sed quam plumbei sint hi, quibus nostram sententiam jugulare tentant, pugiones, statim apparebit; Nam primum quod attinet, quod doli in hostem usus sit furum & latrunculorum imitamentum, id flosculi in Rhetorum hortulis nati nomen magis meretur, quam veri argumenti. Si enim recte ad rationis stateram rem examines, videbis falsissimum id esse. Quis enim non cernit & hic locum habere tritum illud: *Duo cum faciunt idem sæpe non est idem*; Hostis jure suo in eum, qui se indignum reddidit beneficiis socialibus, utitur; fur, latrunculus nullo jure, pravâ saltem habendi aliorum

res libidine actus per injuriam, quicquid facit, perpetrat; Unde liquet quamvis hostis insidiator, & fur insidiator in materiali, uti loquuntur conveniant, differant tamen quoad formale; adeoque quam parum dici potest, Mariti cum legitimâ Uxore cohabitationem esse imitamentum veneris illicitæ, qua scortatores adulteriq; aliorum vel filias vel uxores polluunt, tam parum asseri potest dolos in hostem usurpatos esse furum & latrunculorum imitamentum.

TH. IX.

Qui ex eo, quod dolus virtuti opponi soleat, argumentum petunt, sciant, vel iis, qui ita opponunt, sermonem esse de dolo ex circumstantiis malo, qualis est, si ex. gr. quis amicum, socium fœderatum contra pacta fallat; quiq; opponitur virtuti, prout denotat honestatem; & tum concedimus dolum talem & virtuti opponi debere, & esse illicitum; vel eos loqui de dolo, qui à virtute quæ synonymon est forti-

titu-

titudinis, quæque ſeſe per robur vireſque corporis exſerit potiſſimum, diverſus eſt: Si prius ſit, negamus ſub illa doli notione, noſtrum de quo nos loquimur contineri; ſin poſterius fatemur lubentiſſimi etiam illum, de quo nos loquimur, dolum comprehendi ſub dolo qui opponitur virtuti; inde tamen inferri non poterit dolum noſtrum eſſe illicitum; Poteſt enim aliquid opponi virtuti prout hic ſumitur, ut tamen honeſtati virtutique in genere acceptæ non repugnet.

TH. X

Sanctorum & ſapientum nomina, quæ iis qui dolis in hoſtem abſtinuere, ſæpius tributa ſunt, non moramur. Aut enim abſtinuere dolis aperte malis, e.g. in pactis fœderibuſque; aut ab aliis continuere. Si illis ſeſe abſtinuere ex veræ virtutis ſtudio, iis eum nominis ſplendorem non invidemus: ſi his, arbitramur eos, ſi dolos rejecere tum, cum viderent per eos ſine ſanguinis humani effuſione æque vel melius ſe belli finem

finem obtinere posse, non tantum sanctitatis & sapientiæ nomine non commendandos, sed etiam reprehendendos esse; quia inane vel fortitudinis vel sapientiæ, vel sanctitatis nomen cum sanguine miserorum sibi comparare majus duxerunt, quam mitibus & siccis machinationum consiliis tam pretioso sanguini parcere.

TH. XI.

Graviori ariete nostram sententiam percutere videntur illi, qui causati dolos repugnare belli definitioni, dicunt bellum esse statum per vim certantium; indeque inferunt, si per vim, Ergo non per dolum. Sed & hic res in vado est: Notandum enim quod opponantur sibi invicem res, quæ revera ad oppositorum numerum non debent referri. Vis & dolus differunt quidem, sed non per modum oppositorum. Unde est, ut vis possit esse, quæ conjuncta sit cum dolo, & vicissim dolus, qui comitem habeat vim; quod inprimis in strategematibus plurimis clarum est; ubi plu-

plurima ſæpe fieri ſolent per vim bellicam, quam dolus, ut eo certius vincat, celare & dirigere ſolet: Illa fatalis Trojanis machina, quam Sinonis dolus in Ilium induxit erat ſimul, *ut Virgil. Æneid. lib. 2. v. 238.* ait: *Fœta armis*; & in hocce *Equo Durateo*

— — εἵατο πάντες ἄριστοι

Ἀργείων τρώεσσι φόνον καὶ κῆρα φέροντες

ut *Homer.* canit *Odyſſ. θ.* quod vero vis potiſſimum mentio fiat in definitione, vel inde eſt, quia per vim quælibet reſiſtentia & defenſio hoſtilis denotatur, vel quia aperta armataq; oppoſitio magis in oculos cadit, magiſque adhiberi ſolet. Verum itaque manebit quod antea diximus, dolum in hoſtem eſſe juſtum. Imò non juſtum ſaltem eſſe, ſed & juſtius, addo glorioſius ſæpe eum adhiberi, quam vim armatam neutiquam dubitamus aſſerere; qua in re nobiſcum conſentit Corvinus *apud Silium Italicum lib. 5. v. 100.* ad Flaminium dicens:

Bellandum eſt aſtu, levior laus in duce dextrâ.

 quo

quo etiam pertinet illud *Ovidii Lib. 2. Amor. Eleg. 12.*

Hæc est præcipuo victoria digna triumpho
In quâ quæcunque est sanguine præda caret.

Unde non male Cambyses *ap. Xenophontem in Cyropædia lib. 1. p. 33.* Cyro interroganti, qua ratione incedere quis debeat, ut hoste sit superior respondet : εὖ ἴσθι ὅτι δεῖ τὸν μέλλοντα τοῦτο ποιήσειν καὶ ἐπίβουλον εἶναι καὶ κρυψίνουν, καὶ δολερὸν καὶ ἀπατεῶνα καὶ κλέπτην καὶ ἄρπαγα καὶ ἐν παντὶ πλεονεκτεῖν τῶν πολεμίων; ad quod subridens Cyrus cum dixisset : ὦ Ἡράκλεις οἷον σὺ λέγεις, ὦ πάτερ, δεῖν ἄνδρα με γενέσθαι, regerit Cambyses; οἷος ἂν δικαιώτατός τε καὶ νομιμώτατός τε εἴης. De Christianis tamen, an dolis uti possint, hæsitare videtur *Grotius de J. B. P. 3. 1. 20.* sed vacillatio illa fluere videtur ex solenni eo errore, quo arctiorem durioremque in N. Testamento censet obtinere obligationem, quam illa Vet. Testamenti fuit, de quâ re cum illa proprie fori nostri non sit, videsis *Theologos* & præter alios *Valentin.*

Muscu-

Musculum, qui in *Præf. Versionis Germanicæ Libelli Grotiani de Veritate Religionis Christianæ*, de erroribus ejus apte agit: *Augustinus* ſane allegatus etiam in *Decreto Gratiani can. 2. cauſ. 23. qu. 2.* non dubitat dicere: *Cum juſtum bellum ſuſcipitur an aperte pugnet quis, an ex inſidiis nihil intereſt.*

TH. XII.

Monet nos hic locus, ut nunc inquiramus: An in omni bello dolus in hoſtem ſit licitus? quamvis autem Choroebus *apud Virg. Æn. lib. 2. v. 389.* indiſtincte dicat: *dolus an virtus quis in hoſte requirat?* melius tamen eſt, ſi diſtinguatur hac in re inter bellum, quod reſpectu ejus, qui dolis utitur juſtum eſt, & inter id quod juſtitia non nititur. In bello juſto is, pro quo juſtitia eſt, uti ſine peccato arma in auxilium vocat, ita & ſine vitio dolos adhibere poteſt. In injuſto vero is, qui jacet in injuſtitia nec armis legitime certare, nec dolis citra violationem juris uti poteſt. Egregie, uti

ubique ſolet, *Chriſtoph. Færſtnerus ad Tac. Annal. lib. 4. p. 387. Dolus an in hoſtem ſit licitus, facti quæſtio eſt, & principalis cauſa trahit hanc veluti conſequentem, ut ſi juſta ſit belli cauſa, juſti etiam ſint hi doli; ſin injuſta, etiam has technas improbem. Quidni enim ſummam publicæ rei quibuſcunque modis ſalvam præſtamus. Nihil turpe eſt, quod inimico detrimentum afferat Achill. Tac. VII. dolus an virtus quis in hoſte requirat?* Fit tamen ut etiam is, qui bellum ratione initii injuſtum gerit juſte & licite dolos in auxilium vocare poſſit; quod tum accidit, ſi ipſe ſit paratus ei, quem læſit, ſatisfactionem præſtare; nam quamprimum lædens reſtitutionem rei ablatæ & ſatisfactionem offert, ac teſtatur ſe facti pœnitere, demeritum tollitur, uti bene docet *Budd. Elem. Philoſ. Pr. Part. II. c. 2. §. 21.* quamprimum hoc tollitur, tollitur etiam quæ ei reſpondet vis juſta. Unde rectiſſime *Pufendorfius de J. N. & G. lib. 2. c. 5. §. 19. Qui ſatisfacere renuit & refuſionem*

poſtu-

postulanti resistit, injuriam injuriâ cumulat; sed qui æquam satisfactionem oblatam respuit, & omnino armis vindictam persequi contendit, injustam vim molitur eique jure resisti potest. adde quos ipse citat *Grot. de J. B. P.* & *Bœcler. ad illum locum.* Si itaque jure resisti potest, & dolis optime & tutissime sæpe resistatur, ad eosdem etiam ei, qui satisfactionem æquam obtulit, confugere licebit.

TH. XIII.

Id etiam quæritur, an fieri possit, ut uterque belligerantium juste & licite dolos adhibere queat? Videri posset hanc quæstionem esse ex earum numero, quas JCti Domitianas vocant, cum nulla appareat dubitandi ratio, quare non sit simpliciter neganda, postquam ex iis, quæ supra posuimus patuit illius saltem dolum pro licito haberi, cujus arma justitia nituntur, cumque constet impossibile esse, ut uterque justam bellandi causam habeat. Verum non est superflua huius rei disputatio:

Quamvis enim facultas Moralis non detur ad contraria per ipſius rei naturam, adeoque fieri non poſſit, ut unus belligerantium habeat juſtam cauſam inferendi bellum, ita ut tamen alter etiam habeat juſtam reſiſtendi cauſam, & ita ſi cauſam belli intuearis, neutiquam bellum utrinq; juſtum eſſe queat, attamen fieri poteſt, ut uterque bellum juſte gerat, dum nempe alter, quidem habet cauſam juſtam, alter per ignorantiam invincibilem neſcit ſe deſtitui cauſæ juſtitia; Hoc autem ſi eſt, neceſſe eſt ut dicamus actus bellicos, ſive occulte ſive palam exerceantur ab eo qui per ignorantiam invincibilem neſcit ſe non habere cauſam juſtam, non dici poſſe illicitos, ut ipſi tanquam mali imputari poſſint: conf. *Grot. de J.B.P. 2. 23.* in cuius aſſertum pedibus quoque it *Kulpis. in Coll. Grot. Ex. x. p. 132.* & *Buddeus in Elem. Phil. Pr. Part. II. c. 5. §. 16.*

TH. XIV.

Non minus quæri hic poteſt, An ante in-

indictionem bellicam, in eum qui injuste nos læsit dolos usurpare licitum sit? Cuius quæstionis decisio cum pendeat ex generaliori illa quæstione, An ante indictionem actus bellici usurpari in alios possint, de eâ prius videndum. Arbitramur autem distinguendum hic esse inter indictionem solennem, quæ nempe fit per Fæciales vel Haraldos, uti vocantur, certis ceremoniis munitos, & inter indictionem minus solennem; quod illam attinet, negamus eam absolute necessariam esse; hanc tam parum abesse posse statuimus, ut potius sine eâ, quamvis læsio ab altero profecta injusta sit, bellum injustum esse asseramus; Cuius rei ratio in eo sita est, quia, cum jus naturæ præcipit, ut omnia prius ad lites amice componendas tentemus, quam ad arma curramus, sine dubio etiam præcipit, ut alter, quem ut hostem invadere constituimus, hac de re certior reddatur, ut hoc quoque modo occasio bellum evitandi subministretur. vid. *Buddeus Elem. Phil. Pr. 3. c. 7. §. 9.*

TH. XV.

TH. XV.


Id adhuc, antequam rivos claudamus, moneri debet, quod cum diximus in hostem dolum etiam circa ſermonem licitum eſſe, id accipiendum ſaltem ſit, de ſermone aſſerente, non vero de promittente, multo minus de jurato, uti bene cum *Grotio aliiſque* obſervat *Kulpiſius in Coll. Grot. Ex. x. p. 141.* licet enim quod egregie docet *Buddeus in Elem. Phil. Pract. Part. III. c. 11. §. 1.* per bellum ſtatus ſocialis ceſſet, adeoq; ad officia ex ſtatu ſociali fluentia nemo ſit obligatus, nihilo ſecius tamen, quoniam, dum cum hoſte paciſcimur, ſtatus hoſtilis ſive bellicus, tantiſper quoad hunc actum tollitur, fides data omnino ſervanda eſt; cui accedit, quod, ſi fidem hoſti datam migrare liceret, nihil aliud quam diffidentia perpetua perpetuumque inde ſequi poſſet bellum; quod adeo verum eſt, ut magnus ille rerum Moralium Doctor *M. T. Cicero* id etiam ad ea quæ privati hoſti promittunt extendat

dat; unde in *Offic. lib. 1. c. 13.* ait: *Atque etiam si quid singuli temporibus adducti hosti promiserint, est in eo ipso fides conservanda*; quod tamen aliter admitti non potest, quam si pacta illa Patriæ & Reipublicæ non adversentur. *Buddeus Elem. Phil. Pract. Part. 3. c. ult. §. 23.* rectissime itaque K*ulpisius in Coll. Grot. Ex. XV. p. 198. Videri possent pacta privatorum cum hostibus illicita esse, civium quidem ob supereminentis dominii Jus, militum vero ob fidem Sacramento datam, sed sciendum est, ea pacta quæ malum maius aut certius evitant, magis utilia quam damnosa etiam publico censeri, quare consensum Civitatis præsumi, nî aliud diserte appareat.* Consequens hinc est, quod, etsi forte pactum militum, quod e. g. per semestre non velint militare, videri possit invalidum esse, quia noxium est Reipublicæ, quæ per id usu militum privatur; firmum tamen sit, quia tale pactum continet minus malum, quo impeditur majus. Nunc autem uti veris-

ſime *Buddeus in Phil. Pract. Part. I. c. 4. §. 12.* dicit: *Boni minus præſtantis privatio, quæ maius bonum ſecum trahit, pro malo reputari non debet.* Sed finiendum hic eſt, cum propoſitum nobis fuerit tantum de extantioribus materiæ de dolo in hoſtem licito capitibus agere; preſſiorem, exactioremque ſingularum doli ſpecierum conſiderationem alii tempori reſervamus.

Θεῷ μόνῳ δόξα






Vas hic Literulas perituro inſcribimus Ævo,
Has vitam ex Animo ducere crede pio.
Non nos fuſca Chloë, nec nos conjunxit Jacchus,
Teſſerave, aut Vinclum Fors inopina fuit.
Sub paribus Stellis, ſub iiſdem crevimus Umbris,
Dulcis Amor tenero venit ab inde ſinu.
Luſimus ut Pueri, certoſque inſuximus Ignes,
Ut Juvenes, Muſis nunc quoque Præda ſumus.
Sera Viros facient nos Tempora, ſerior Ætas
Nec rapiet firmæ Robur Amicitiæ.
Fortè etiam gelidos pariter claudemus Ocellos,
Oſſaque vicinæ nuda dabuntur Humo.
Hinc quoque quem noſtrûm Caſus tuleritve, feretve
Quiſque, ſub alterno Pectore quiſque feret.
Hinc tibi, Pars animæ, veniunt hæc Carmina, *KNEYLI*,
Carmina, victuram teſtificata Fidem.
Scilicet impenſos hoc ornas Fine Labores,
Muſarumque choros in tua Vota vocas.
Scilicet hoc pulchrum perfundis Lumine Stemma,
Quæque facit Patruus, te docuiſſe juvat.
Macte animo & Virtute, patet jam Principis aula,
Principe vel ſi quid celſius eſſe poteſt.
Claudimus hic rivos, ſi non te digna leguntur,
Per Patriæ hos numeros iſſe memento manus.

Conterraneo & Amico longe ſuaviſſimo, de Dolo in Hoſtem licito, egregie differenti hiſce ſincere applaudit

Conterraneorum Trias.

 Inſi-

INsidias quare tractes mirentur; Amice,
Qui Musas sequeris Christiadumque choros;
Ut quibus inprimis mens fallere nescia, candor,
Et pia simplicitas, integritasque placet;
Gratantes potius nos his applaudimus ausis,
Dum statio insidias utraque nosse jubet;
Sunt etenim Musis, sunt Christicolisque verendi
Hostes, qui passim retia tecta parant;
Insidias horum quod si deflectere pergas,
Cum laude insidias Te didicisse patet.

Hoc levi licet applausu amicitiam tamen sinceram
Nobiliss. DN. Resp. de Dolo in Hostem licito
disputanti attestari voluerunt

Commensales Fridiani.

PEllæo Juveni Martis fraus esse videtur
Res indigna Viro, digna latrone vago. (a)
Nescit Alexander, quæ Tu scis, Maximus orbe;
Quis non gratetur, Fautor amande! Tibi?
Addiscas porro prudens depellere semper
Insidias, nobis quas mala Triga struit,
Serpens antiquus, quo non astutior alter,
Ac Mundus fallax, & male suada Caro.
Sic Jurisconsultus eris justusque piusque
Salvatorque Status; idque Lutherus ait. (b)

(a) *Curt. IV, 13. 8.*
(b) *Altenb. V, 312. a.*

M. Joh. Henricus Specht,
Isnens. SS. Theol. Stud.

HActenus in nostro Parnasso castra secute
Musarum Kneyli *prælia docta paras.*
Prælia docta paras; etenim contendere contra
Hostem conaris de grege Pieria.

At

Ast inventa *cavens hostis, num,* callida, *pugnam*
Aggrederis forti pectore? monstrat opus.

Pauca hæc Præcell. atq; Nobiliss. DN. Respondenti gratulabundus posuit

J. S.

FErrea jam proles puro successerat Auro,
Et Locus, Ambitio quo raperetur, erat,
Fustibus abjectis fera colligit Æra Pyracmon,
Vomer & immeritus fervida Jura subit.
Saucia jam videas Gentes post Terga revinctas,
Jamque per admotos Oppida capta Pedes.
Heic Natos Genitrix, solum heic Soror Unica Fratrem,
Heic queritur raptas Gellia Delicias.
Viribus hæc horrens dum Miles agebat apertis,
Ingeniumque ingens in sua Damna furit,
Cautior ecce aliquis, quem deinde secutus Ulysses,
Aspera subjectis temperat Arma Dolis.
Jam lentis potuit Ducibus mirabile Lignum,
Anni quod miseris non potuere decem.
Tracta per innumeras Martis Compendia Brumas
Nunc quoque legitimi sunt in Honore Modi.
Quæ tu, Pars nostrûm non contemnenda Penatum
Disseris, in Laudes disseris illa tuas.
Hanc sibi materiem legeret formosus Apollo,
Si foret in nostrâ pulcer Apollo domô.
Hanc Venus ipsa Dolûm, Fraudisque immensa Magistra;
Fleret & orbatas dulcis Hymettus Apes.
Nunc quoniam indulsit pejor præcordia Titan,
Accipe Materiê deteriora tuâ.
Non ea Candenti commixta Superbia Fronti est,
Quin hæc Vota Oculis digna reare tuis.
Nec tua, quam præfers, violata est Gratia Vultus,
Pallidus ut nobis obtegat Ora Pudor.

Scili-

Scilicet innumeris dudum collegimus horis
    Pectus inexhaustâ, plenum Animumque Fide.
Sive tibi quisquam quidquam poscebat Amicus,
    Sensit Oresteam Dextera juncta Manum.
Sive parum notus sanctos quærebat Amores,
    Non Precibus blandis invidiosus eras.
Moribus æquabas Mores, sed Moribus æquis,
    Nec grave, ab Ingenuis te didicisse, fuit.
Interea toto complebas Pectore Musas,
    Aonias Studiis conciliante Deas.
Nec minus urbanæ fugebas Jura Juventæ
    Et super Ingenium quod coleretur, erat.
Scilicet, hos stimulos tibi cognatissimus Ardor,
    Addidit, *Illustris* Martis & Artis Apex,
Ille sibi immisto sensit de sanguine cretum,
    Ille tui nunquam non memor esse potest.
Felix, cui *Patruum* sic contigit esse, paterno
    (Vel procul hic) duplici qui foveare Sinu.
Fortè tui ignarus tua Verba in Facta resolvit,
    Error in exanimes commemorandus Avos.
Nunc siquidem haud nostrum est, tantos pervolvere Casus,
    Sedulus inceptam perge tenere Viam.
Jam Lauri virides Animisque Oculisque recursant,
    Et subeunt Nymphæ, quæ Tibi serta dabunt.
Jam tenere amplexus, Generisque in Vota ruentem
    Volvimus, & Patriæ Spemque Decusque suæ.
Hic legeres Titulos, ni Sal commune vetaret,
    Hoc satis est, solitas proposuisse Dapes.

Amico Integerrimo, Convictuali suavissimo
Lubens, meritoq; accinit hic

Commensalium Quadriga.

